

S E X T U M : Deus est author omnis boni in natura: Et erant omnia valde bona. Ergo nec peccati aut mortis causa in Deum est transferenda, sed in nos ipsos: nec bonorum gloria, quæ vel seruauit nobis, vel restituit aut confert, ei est adiuncta, &c.

DE SEX DIERVM
operibus.

1. Terra, & abyssus aquæ, lux, prima luce creata est.

C A P I T I S S E C V N D I A R G V M E N T U M ,
V s u s , P a r t i t i o .

Hoc caput epilogus est & commentarius illustris totius hexaemeri. Initio Moses paucis indicat, quomodo Deus opera creationis & primam mundi hebdomadem clauerit, diem septimum suarequie sanctificando. Deinde res gestas tertii & sexti diei, presertim hominis creationem vberius exponit: ex qualia materia corpus viri Deus formauerit: quomodo viuiscauerit: ubi & ad quid hominem conditum collocauerit: quali lege eum obstrinxerit: quo consilio, quaç, causa, unde & quomodo fœminam creauerit, creatam vero insolubili connubio vita sociam copulauerit: quæ deniq, fuerit duorum ante lapsum puritas & sanctissima consuetudo.

Varia hic iterum occurunt exempla immensa potentiae & mirifica bonitatis Dei, quæ in progressu monstrabimus. Depingitur etiam hominis ante lapsum originalis integritas, authoritas atque conditio. Sed cum primis eluent tres diuinæ sanctiones, Sabbathi, Legis & matrimonii, antiquissime & vniuersales: absque quibus Ecclesia & genus humanum nec stare nec propagari poterat in mundo. Prima ordinem Ecclesiasticum sancit, ac testatur Deum velle cultum & inuocationem sui perpetuo publice vigere inter homines. Altera sanctione Deus legum fontem aperuit, & authoritatem sanxit, ostendens hominem naturali obligatione Deo & legibus honestis subiectum esse: unde ciuilis ordo exstitit, in quo magistratus tanquam Dei minister custos legum diuinarum & humanarum esse debet. Tertia: Oeconomicum ordinem spectat, confirmans sanctum ac necessarium esse viri & fœminæ commercium legitime contractum: quia Deum authorem habet, & omne peccatum antecepsit. Hac omnes alias ordine antecepsit: quia mulier simul condita & iuncta est viro die sexto. Secuta est lex de arbore eodem die septimo: Sed Moses historiae causa primo loco eam exposuit.

Partes igitur capituli præcipuae sunt duæ.

P R I O R est Sabbathi institutio ver. A 1. 2. 3.

Altera καθ' ισερωσιν describit παρεγγει- πομενα quædam, illustrantia præcedentem creationis historiam: Inter quæ est:

1. Mirabilis terræ fœundatio absq; pluuiæ & hominis cultura ver. 4. 5. 6.
2. Hominis creatio distincta quoad

corpus & quoad animam ver. 7.

3. Descriptio horti Eden seu Paradisi eiusque usus versib. 8. seq.

4. Lex arboris vetitæ in medio horti ver. 16. 17.

5. Creatio Heuæ & matrimonii consecratio v. 18. cum clausula de statu inr. occidentis.

V. PRIMA

A 2. Cœlum, atque vndarum diuisione facta secunda:

3. Tertia secreuit terram & mare, protulit herbas:

4. Quarta dedit nitido stellarum sidera Olympo.

5. Quinta tulit pisces in aquis: cœlique volucres:

6. Sexta feras hominesque Dei sub imagine fecit.

7. Septena tandem Deus hausit luce quietem.